



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An, & quinam Magistri constituendi sint ad docendum in Ecclesiis Cathedralibus; & an licitum sit aliquid exigere vel accipere pro licentia docendi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ad plures etiam annos infra decem, reditus Ecclesie, vel beneficii sub annuo censu elocati pisse, quod tamen hodie non licet ultra triennium, ubi *Extravag. Ambitiosa de rebus Ecclesie alienand.*

inter communes, recepta est, videatur etiam de hoc Tit. ea quæ in superioribus dicta sunt Tit. 13. Lib. III. Decretal. de rebus Ecclesie non alienandis.

TITVLVS V.

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

§. I.

An, & quinam Magistri constituendi sint ad docendum in Ecclesiis Cathedralibus; & an licitum sit aliquid exigere vel accipere pro licentia docendi?

EX c. Quoniam i. h. t. habetur, quod in qualibet Ecclesia Cathedrali, vel etiam collegiata, si sufficientes reditus adsint, constitui debeat, de una præbenda Magister, qui Clericos ejusdem Ecclesie, & pauperes scholares Grammaticam, gratis doceat; & quod pro licentia docendi, nullum pretium sit exigendum, neque idoneus, si petita licentia, docere velit, sit impediendus, (ne desit doctrina ignorantibus, aut pauperibus) sub pœna privationis beneficii Ecclesiastici. Qualia præcepta, & prohibitiones etiam fiunt in c. 2. & 3. h. 7. ac in c. 4. insuper additur, ut in Ecclesia Metropolitana Theologus constituatur, qui alios in sacra pagina doceat, & in his præcipuè instruat, quæ ad curam animarum pertinent, assignatis unius Præbendæ proventibus, quæ constitutio

confirmata etiam fuit à Tridentino sess. 5. c. 1. de reform. & sess. 23. c. 18. de reform. quod eam etiam extendit ad Ecclesias Cathedralis, si civitas sit insignis. quæ autem praxis sit harum constitutionum, uti etiam ipsius Tridentini, docebit consuetudo.

§. II.

Quale privilegium jure Canonico concessum sit Theologiam seu sacram Scripturam publicè docentibus, vel illi studentibus?

EX c. Super specula §. h. t. habetur; quod docentes Theologiam (aut jus Canonicum, uti communiter docent omnes) vel in illis studentes, in celebri universitate, gaudeant privilegio percipiendi fructus beneficiorum suorum, etiam si absint à suis Ecclesijs, cum licentia tamen suorum Prælatorum, &c. ita tamen, ut docentes quidem gaudere possint suorum beneficiorum fructibus, quamdiu docuerint, absque limitatione ad certos annos (nisi ex causa revocentur ad suas Ecclesias) studentes verò in his

Aaa aa 3 facul-